Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 567

Quelle:
Copyright:

An vero ſit is Gregorius, cujus libros de anima Nemeſius in Epitomen redegit, incertum; fieri poſſit, ut is preter illud maiorum uigiliarum opus in gratiam Tatiani amici ſcholaſticum hoc de animo opuſculum ſcripſerit. Quisquis is fuerit, certe non obſcure conſtat Chriſtianum Theologum fuiſſe et de animo ſicut illius ordinis pene omnes, cum diuino Platone ſenſiſſe. Deinceps Patrono contra obtrectatores ſe commendat. *Vix pedem huc intuli, nemini aut paucis et adhuc ſolo nomine agnitus, et ecce invidentiæ turbo contra me excitatus, et diſſipati ſermones atrociſſimæ contumeliæ pleni, quaſi me unum e multis ferre nequeant extra eorum ſubſellia in litteris educatum* &c. Repulſurum ſe tela, ſed confidere in Praeſidis tutela. Locus et Annus ab hac Praefatione abſunt, ſed, ni vehementer fallor, *Pragae* et A. fortaſſe 1592. aut 93. adfigenda eſt. Rationes expediam, ubi dixero, mirum eſſe de *Claudio Ancanthero* apud Scriptores ſilentium. Nomen ille ſibi pro aevi more e Graeco Ἀγκος *Vallis* et Ἀνθηρος *Floridus* compoſuiſſe videtur, cumque genere *Barrhoducenſis* (Bar le Duc) fuerit, aut gallico *Valfleury*, aut germanico ſermone *Blumenthal* dictum fuiſſe arbitror. Patriam illius prodit *Diameron in Nuptias Ferdinandi Medicis et Chriſtiernæ Lotharingicae*, quod *Auctore Claudio Ancanthero genere Barrhoducenſe D. Med.* prodiit *Patavii* 1590. 4. Primum illius, quod mihi innotuit, Scriptum. *Patavii* eum elegantiores ſaltem literas profeſſum fuiſſe, *Adverſaria* mox adferenda innuunt, tacente *Nic. Comn. Papadopolo* in *Gymn. Patav.* Non multo poſt *Pragam* in *Rudolphi* II. Imp. aulam commendante *Rudolpho Coraduccio* ſupra memorato tranſiit, moxque Libellum *Gregorii* typis paravit; memineris enim verborum Praef. *Vix pedem huc intuli* &c. Secutus eſt *Mich. Pſelli Nomenclator Gemmarum, quae magis in uſu ſunt, cum earum Medicinis, cum Claudii Ancantheri Med. et Hiſtorici Cæſ. notis. Typis Ottho-marianis* (Pragæ) 1594. 8. Item: *Rudolpho II. Imperatori ſemper Auguſto Claudii Ancantheri, ejus Hiſtorici, Panegyricus, Jdurino recepto dicatus. Pragæ apud Joan. Ottmarum.* 1598. 4. Atque haec quidem Viri in lucem publicam emiſſa novi. Addam nunc, quae Mſpta apud nos ſervantur. Et primum quidem *Adverſariorum Liber II. et III.* mutili tamen, quibus plura Autorum Claſſicorum Graec. et Lat. Loca egregie emendantur aut illuſtrantur, hoc initio: *Ego cum enarrarem librum tertium Rhetoricor. Ariſtotelis adoleſcentibus quibusdam nobiliſſimis* &c. quo quae de *Patavina* commoratione dixi, confirmantur. Dein Verſio latina *Fragmenti Arithmetici* graeci voluntate *Jac. Curtii* intimi Conſiliarii Caeſ. et Procancellarii Aulici ſuſcepta, eique adſcripta *Pragæ ex ædibus noſtris*, de qua videri poteſt *Lambec.* L. VII. p. 194. edit. *Kollar.*

col.